

Aspera Parthinum frigora verticibus ;
Quaeque elata mari contra stat Tauridos ora

Cervinam capit is tortilis in speciem ,
At nimios aestus genitabilis aura Fayoni

Hesperiis Melites mulcet ab aequoribus ,
Et late in bibula mollissima balnea arena ,

Balnea nocturnis cognita Nereisin .

Bacchus amat propriam generoso palmite Lesbon ,

Pallas Athenarum moenia nobilium ,

Sed neque Lesboae contendat vinitor uvae

Collibus , o Elaphi , plus placuisse tuis ;

Nec se Palladia felices arbore rami

Usquam Cecropiis tam bene contulerint

Arboribus ; fructuque tibi bene olentis olivi

Appula det victas , Tuscaque terra manus ,

Hic veniunt herbae , mitis quas educat aer ,

Et matutino ros novus imbre lavat ;

Hic pecori fructus , niveique hic copia lactis ,

Et prima est tonsis gratia yelleribus .

Hic etiam ipse pater virus serpentibus atris

Abstulit , et nulli posse nocere dedit .

Tu quoque tu plures hic pro una , Pallas , Arachne

Textilis invenias laude magisterii .

Non adeo faciles Vinci fortasse puellas ,

Artifices telae stamina Maeoniae

Nocturna torquere manu , torquere diurna ,

Et somnum argutis fallere carminibus .

Neve virum minor ingenis est gloria : ad artes

Quilibet est illic impiger omnigenas ;

25

30

35

40

45

50